

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Cap. 16. De præsentatione quæ à patrono fit ad beneficia,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78332](#)

minatio locum non habebit. Tertia, ut nominatio fiat à Rego, non autem ab alio, nec alteri quam Papa, seu Sedi Apostolica: ita ut nominatio Regis non sufficiat, nisi sequatur Papa prouisio. Quarta ut nominatus magister sit in Theologia, vel in ea licentiatus aut docto in utroq., vel altero iure (nisi esset ex consanguinitate Regis, ac sublimibus personis, vel ex Religiosis, qui iuxta regulam sue institutum, non possunt doctoribus insignibus decorari) graduatus in universitate famosa cum rigore examinis. Quinta, ut sit persona gravis, honestaque vita, nec leuis capitio, ac judicis. Sexta, ut Rex unum tantum nominet, non plures, eumque constitutum fatem in 27. anno sua etatis. Postrema ut nominetur intra sex menses à die vacationis: aut si nominetur aliquem à Papa invenitum indignum, post tres menses à die recusationis intimatos sollicitatori eiusdem Regis, nominetur aliam dignam: quod non faciens, Papa Ecclesie vacanti prouidere potest sine regni nominatione.

<sup>107.</sup> Quibus conditionibus partim similes, partim dissimiles idem author ex sequent. §. 2. colligit, requiritas ad nominationem qua Regi Gallia concedit facienda ante Abbatias aut Prioratus conuentuales, & electi. Prima est, ut nominandus sit Religiosus. Secunda, ut sit eiusdem ordinis cum aliis Religiosis, quibus praeficiendus est. Tertia, ut sit in aetate saltem 23. annorum. Quarta, ut nominetur à Regi ipsi Papa, aut Sedi Apostolica. Quinta, ut talis sit Abbatia, sit Prioratus varet. Sexta, ut Rex intra tempus sex mensium nominet, sique nominatum Papa recusat ut indignum: intra tres menses à die recusationis intimat eisdem Regis sollicitatori, nominet alium dignum. Septima, ut electio pertineat ad conuentum. Postrema, ut electus sit expresso profectus. Iudicium conditionibus limitata est facultatem nominandi concessam aliis Principibus, par est existimare. Ex illis autem facile est intelligere in statu damnationis esse illos, qui ob nominationem factam à Principe in ipsum suorum favorem, existimant quaecumque sibi esse ius disponendi de bonis Ecclesie, tanquam sibi donatis ab eodem Princeps: qui id non potest, nec existimandus est facere tanquam ab omni ratione alienum.

## C A P V T XVI.

De presentatione, que à patrono fit ad beneficia Ecclesiastica.

## S V M M A R I V M.

- 208 Definitio iuri patronatus: & quomodo ipsum conueniat laico.  
 209 Quibus competit ius patronatus.  
 210 Explicatio dubii, An ius patronatus acquiri possit prescriptio & conuetudine.  
 211 Quia Patrono accedant ex iure patronatus.  
 212 Tam Clerici, quam laici capaces sunt iuris patronatus, neque tantum apud unum, sed etiam apud plures simul esse potest tale ius.  
 213 Notanda de locatione iuri patronatus.  
 214 Notanda de eiusdem permutacione, ac de renditione.  
 215 Quatenus licita sit venditio iuri patronatus, & quatenus simonia.  
 216 De acquisitione iuri patronatus per successionem hereditariam.  
 217 Locator rei cui annexum est ius patronatus, potest presentare. Idem ius nequit dari in pignus.  
 218 Notanda de pluralitate patronorum.  
 219 Quatenus censor in patrono sit impedimentum validatis presentationis.  
 220 Non potest presentare seipsum, & de peccato presentans indignum.  
 221 Quando peccat presentans dignum reliquo digniore, & quod peccatum in eo commissum non impediatur presentationis validatem.  
 222 Quatenus absens possit presentari: & quod parer possit presentare solum suum.

- 223 Differentia duplex inter laicum & Clericum presentantes.  
 224 Episcopus institutus est potest presentatum, & quis prater ipsum idem possit.  
 225 Quando institutus facta sine presentatione patroni sit auctor sit valida, ac quando fieri possit ab Episcopo, extra suum territorium.  
 226 Summus Pontifex potest derogare cuiunque iuri patronatus, & quando censendum sit de facto derogare.  
 227 Quid, quando ius patronatus fuerit Regum, aut aliorum magnorum dominorum: & quid cum fuerit simul Clericorum, & laicorum.  
 228 Diuerci modo quibus accipitur nomen institutionis presentati a patrone.  
 229 Papa, & solus, derogare potest conditionibus beneficiis, i.e. appetitis a fundatore.  
 230 Cum adiecta est conditio ut beneficiarius dicat aliquas Missas, is debet esse Sacerdos.  
 231 An actus Sacerdos esse debet is, qui presentatur ad tale beneficium.  
 232 Quando conditio dicendi numerum Missarum, sic apposita est beneficio, ut materiam prebeat peccatis, vel onus immoderatum inducat, non valet.  
 233 Modi quibus ius patronatus extingui potest.

D E hac materia in Decretalibus tam nouis quam antiquis, & in Clementinis habetur titulus De iure patronatus: de eaque amplissimum tractatum instituit Caesar Lambertinus, & de eadem prater Canonum interpretes ad memoratum titulum, & Summarios in verbo, ius Patronatus, agum multij, inter quos sunt, Rebuffus in praxi beneficiorum, 3. parte signaturae, verbo, Nec non iuriis patronatus, Corasius in quarta parte paraphrasis in materia Sacerdotiorum cap. 6. & Quart. in practicis questionibus, cap. 36. & lib. 2. Variarum resolut. cap. 18. nouissimeque Azor in 2. par. Moral. Institut. lib. 6. cap. 19. & quatuor sequentibus, ac Suarez. De religione tract. 4. lib. 4. cap. 28.

Primo autem considerabimus ius patronatus, secundo personam patroni presentantis, tertio personam presentandi, quarto personam institutum presentatum, quinto conditiones solitas apponi beneficis patronatis.

## S E C T I O L.

## De iure patronatus.

D E finitur ius patronatus, ius spirituali annexum, quod ex gratia conceditur ei, qui consentiente Episcopo Ecclesiam aliquam vel fundavit, vel extruxit, vel dotauit. Cuius definitionis prima parte significatur, quod licet ius Patronatus sit spirituali potestate Ecclesiae institutum habeatque respectum aliquem ad Sacramentorum administrationem, id est quod sit aliquatenus spirituale, scilicet ius eligendi Ecclesie ministros, non esse tamen mere spirituale: sed (prout dicitur, De iudicio cap. Quarto, & De iure patronatus, cap. Deinde) spirituali annexum, antecedenter nimurum, seu tanquam dispositionem ad aliquid spiritale.

Secunda parte vero, quod ex gratia conceditur &c. significatur id quod ex loco citato numero 6. Corasius habet: quod cum spiritualibus annexa, naturam sapientis spiritualium, quorum laicus est propterea incapax, iuxta cap. Dicernimus, De iudicio: ius patronatus non posse summum iure à laicis possideri; sed ipsum gratis illis, de quibus fit mentio in reliqua parte definitionis, concessum esse: tum ut ceteri inuitarentur ad similem liberalitatem erga Ecclesiam: tum ne illis qui in sacrum volumen aliquid contulerint, beneficium collatum perisse videretur.

Reliqua parte definitionis indicatur, quibus competit ius Patronatus: nimurum illis qui Ecclesiam ipsam fundarunt, id est, ut etiam interpretatione Corasius in sequenti numero 12. fundum in quo de Episcopi voluntate edificatur, donarunt: vel illis qui extruxerunt, hoc est, sumptus ad edificationem suppeditarunt, vel illis, qui dotorunt, hoc est, perpetuum stipendium ministris in ea rem diuinam facturis constituerunt. Quod colligitur ex cap. Nobis,

De iure

208.

209.

De iure patronatus, & ex cap. Piz. mentis, ex cap. Fiigen-  
tius, ac ex cap. Quicunque, secundo, 16. quæstione 7. I-  
demque paratione dici potest de æquipollentibus: puta  
ijs qui modicam Ecclesiæ dotem multum auxerunt, aut  
Ecclesiæ ditutam redificarunt. De iis vero, qui non to-  
tam aliquam Ecclesiæ, sed vnum tantummodo benefi-  
cium in ea instituerunt, dicendum est non habere quidem  
ius patronatus in totam ipsam Ecclesiæ, habere tamen in  
illud beneficium.

Vbi adverte, adiutor patronatus acquirendum alicui, suffi-  
cere quidem solam Ecclesiæ fundationem, vel solam ædi-  
ficationem, sed dummodo hac illam, & vitramque dota-  
tio sequatur. Nam vt ex Panormit. habet Corasius loco citato,  
narratio 12. & 13. existimandum non est sola fundi as-  
signatione ius patronatus quæri: ne sequatur absurdum,  
quem dici patronum Ecclesiæ quæ nondum est, nec vnu-  
quam forte futura est. Atque ius patronatus acquiri iis, qui  
de consensu Episcopi, sumptibus suis in assignatum fundo Ecclesiæ  
dificant, intelligendum est, iuxta glossam primam  
ad antea citato cap. Quicunque, si ipsi, aut certe alij, prout ex  
Panormit. habet in eato numero 13. Corasius, Ecclesiæ assi-  
gnant dotem congruam, qualis censeretur esse quæ sufficiat ad  
necessaria ministrorum, & ad luminaria: sive qua dote Ecclesiæ ad facili proibetur in cap. Nemo, De consecr. di-  
stinct. 1.

Ceterum non requiri ad acquisitionem iuri patronatus,  
vñis, qui fundat, vel ædificat secuta donatione, vel dotat  
Ecclesiæ ædificatam illud sibi expesse referunt: sed ipso  
iure acquiri, quantumvis non referetur: dummodo ei non  
renunciatur: docet per cap. Significavit, De testibus. Pa-  
normitanus, ibid. num. 1.

Dubium vero est. An ius patronatus acquiri possit præ-  
scriptione, & consuetudine: quod intelligi potest vel in  
Ecclesiæ libera, seu quæ non habet patronum, vel in non li-  
bera seu quæ habet patronum: Atque secundum priorem  
intell. etiam, multi dixerunt ius patronatus non posse ac-  
quiri præscriptione, quos Corasius citat ad Regulam, Pos-  
tulat, secunda parte, §. 10. n. numero 2. Cui contrariam opini-  
onem sequenti, non est assentendum, propterea quæ  
Concilium Trident. decernit less. 14. cap. 12. & less. 25. cap.  
9. utroque De reform. Secundum posteriorem intel-  
legetur vero conceditur quidem tale ius præscribi posse:  
sed quæ ratione possit, non eodem modo explicatur. Se-  
quendum est autem quod in eo cap. 9. à Concilio statuitur  
his verbis. Decernit sancta Synodus vt titulus iuri patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico  
documento, & alijs iure requisitis, ostendatur: sive etiam  
multiplicatis presentationibus per aequitissimum tem-  
poris cursum, qui hominum memoriam excedat, alias se-  
cutum iuri dispositionem. In iis vero personis, seu com-  
munitatibus, vel universitatibus: in quibus ad ius plerumque  
ex usurpatio: & portio quæ situm præsumi solet: plenior,  
& exactior probatio ad docendum verum titulum require-  
tur: nanc immemorialis temporis probatio illis aliis suffi-  
cetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, præsen-  
tationes etiam continuaret, non minori saltu, quam quin-  
quaginta annorum spatio: que omnes est. Etum fortis sint  
aut henticis scripturæ probentur. In quo codem cap. con-  
sequenter, Concilium abrogat patronatus priuilegio conce-  
flos, i. exceptis qui Cathedralibus Ecclesiis competunt, aut  
supremis Principibus in suis terris, aut Academias in fau-  
orem studiorum. Vnde intelligitur, inferiorem Papa non  
posse tale priuilegium concedere alicui, qui nec fundauerit,  
nec adficiaverit, nec dotauerit Ecclesiæ, ad quam facienda  
est præsentatio. Papam vero posse concedere, derogando  
tali decretu eiusdem Concilij.

Porro quædam Patrono accidunt ex iure patronatus ver-  
sus his expressa:

Patrono debetur honor, onus, emolumentum,  
presente, prestit, defensat, alia ut ergo.

Quorum sensus est Patronum ex iure Patronatus habere  
primo, honorem: tum qui primus locus, & honestissimus  
ei debetur in Ecclesiæ, sive in sedendo, sive in endo ad pro-  
cessionem, ex cap. Nobis, De iure patronatus: tam quæra co-  
petit illi ius prætentandi Clericos idoneos, quibus Episco-

pus tenetur beneficia illius Ecclesiæ vacantia conferre, i-  
tant Episcopalem, quam à patrono oblatum, si modo id-  
neus sit, instituere non possit, iuxta cap. Significati, cod. m  
titulos: Quæ tamen instituto sic est ad beneficij acquisitionem  
nem necessaria, vt si patronus præsumat aliquem etiam di-  
gnum instituere, & in possessionem inducere, excommuni-  
cari, & Clericus ab eo institutus deponi debeat, iuxta c. Præ-  
terea, eodem titulo. Idque quia per presentationem, Cle-  
rico tribuitur tantummodo ius ad beneficium: seu iis ab  
Episcopo, vel ab alio cuius interlit petendi institutionem:  
qua cujus sit collatio quædam beneficij, per eam ius in bene-  
ficio acquiritur. Secundo, habere onus: quia tenetur Ecclesiæ,  
enīque bona defendere: sique deprehenderit mini-  
stros male versari, eos non solum honeste monere, sed etiam  
apud Episcopum accusare ex cap. Filiis, 16. q. 7. Quæ de  
causa aliquando vocatur aduocatus Ecclesiæ, aliquando vi-  
cedominus, aut etiam custos, vel defensor, in cap. Præterea,  
2. & in cap. Cum autem, De iure patronatus. Habere deni-  
que emolumentum: quia si necessitate presius, egeat, debet  
ali ab Ecclesiæ, cuius est patronus, ex cap. Nobis eodem ti-  
tulo: ac etiam ipsius filii, similiter egentes, ex cap. Quicun-  
que 2. 16. quæst. 7. vbi glossa verbo Adiopiat. & admonet id  
esse intelligendum, quando patronus in summam egela-  
mentum deductus est: & quando Ecclesiæ seu ministris qui de-  
seruent, superest.

## S E C T I O . II.

### De persona patroni.

**N**on solum laici, sed etiam Ecclesiastici capaces sunt in-  
ris patronatus, ex cap. Cum autem, De iure patronatus:  
qui tam sibi illud nacl siuerint ratione patrimonii, ponun-  
tur in numero patronorum laicorum, iuxta cap. Cum dile-  
ctus, eodem titulo, § finali. Etenim patroni Ecclesiastici ij  
tantum dici debent, qui ratione Ecclesiæ quam tenent, tru-  
nunt eo iure: sive quia ex ciuidem Ecclesiæ bonis, fundatio-  
nalarum quæ patronate sunt, facta est: sive quia patroni lai-  
ci ius suum eidem concesserunt. Capaces sunt autem eiudem  
iurius præter laicos eos qui Ecclesiæ fundarunt, ædifi-  
carunt, dotarunt, alij etiam. In quos ipsum transcripsi potest  
quatuor modis: nimirum donatione, permutatione, ven-  
ditione, & successione: De quibus Sylvest. in verbo, ius pa-  
tronatus, qu. 4. & 5. Neque apud vnum tantummodo, sed  
apud plures simul laicos ipsum ius patronatus esse potest, vt  
quando unus fundavit, alter ædificauit, & tertius donauit  
Ecclesiæ. Aut quando plures simul, vel fundarunt, vel æ-  
dificarunt, vel dotarunt, prout Panorm: habet ad cap. Ad  
audientiam. 1. De Ecclesiæ ædific. num. 4. postque cum Cora-  
sius in supra cit. cap. sexto, num. 4. Addens id procedere etiam  
si alii alii minus contulerint, ex glossa ad summam di-  
stinctionis sexagesima tertia in fine: Item quando vni pa-  
tronu p: res in hereditate succedunt, prout paulo post ex-  
ponetur.

Circa dictam donationem, notandum est primo, si eam  
laicus faciat Ecclesiæ, vel alicui loco Religioso, vel etiam  
Clerico, intuitu Ecclesiæ quam tenet: vt validâ sit, non re-  
quiri Episcopi consensum, iuxta cap. vnicum De iure pa-  
tronatus in 6. Secus in vro si eam facit alteri laico, aut Cle-  
rico quidem, sed nomine, & intuitu tantum ipsius, non au-  
tem Ecclesiæ: prout habet ex communis sententia Syl. in cit.  
q. 5. dito. 3. ad quod facit cap. Præterea 2. De iure patrona-  
tus: & quod consentaneum non sit eam translationem fieri  
in Ecclesiæ præiudicium: ideoque regiratur Episcopi iudi-  
cium, & consensu tanquam eius, qui eidem periculo de-  
beat ex officio obuiare. Atque consensum tacitum: immo  
& ratificationem, qua le in scio ante factam donationem,  
postea approbat Episcopus sufficere posse eadem ratio o-  
stantit: quia tunc præiudicium absit e iudicabatur.

Notandum secundo, non requiri Episcopi consensum  
ad hoc vt unus patronus renuntiet, seu remittat alteri com-  
patrono ius patronatus, quod cum eo habet communem. Ad  
quod facit cap. Ex insinuatione, De iure patronatus. Vbi  
glossa ad verbum Concessisse: rationem tangit, quod tunc non  
institutus nouus patronus, sed ius quod erat penes eum  
vni relinquatur: neque id stat in aliquod præiudicium

Ecclesiæ

Ecclesia; cum is qui relinquitur, perinde approbatum sit, ac alter qui relinquitur.

Notandum est tertio, ius patronatus, cum donari possit, posse quoque legari, seu relinqui testamento. Nam legatum nihil aliud est, quam donatio libere facta a testatore. Ut autem validum sit tale legatum requiritur, sicut & in alia donatione, consensus Episcopi. De qua re ex Panorm. Sylu. in praeced. quest. 4. dicto 4.

Circa permutationem notandum est, ius patronatus cum sit quid annexum spirituali, non posse permutari cum temporali; posse autem cum alio iure spirituali, iuxta cap. Ad quæstiones, De rerum permutatione: ut cum alio simili iure, aut cum iure sepulturae, &c. Requiritur autem ad eam, sicut ad donationem, consensus Episcopi; si ius patronatus transferatur in laicum, aut in Clericum nomine & intuitu ipsius, non autem Ecclesie.

Circa venditionem iuri patronatus, notandum est: tales non posse absque labore simoniae vendi per se: prout censeretur, si venderetur separatum a re temporali, id est, a fundo, vel possessione cui est annexum; aut pro eadem possessione pretium maius, quam alioquidaretur, ob tale iure etiannet annexum acciperetur. Id enim perinde est, ac si calix maioris pretio venderetur, eo quod sit benedictus.

Licet autem vidi posse ius ipsum patronatus cum possessione cui annexum est, dummodo pro ea non exigatur maius pretium, quam si non haberet illud annexum: constat ex cap. Cum facultate, & cap. Ex literis, De iure patronatus, utrobique iuncta glossa: tuncque id ipsum ius dicitur vendi cum vniuersitate honorum, id est cum re tota, omnibusque iuribus pertinentibus ad rem temporalem cuius annexum est tale ius. Quia etiam ratione, nempe cum tota vniuersitate rei, in qua situm est, idem ius dari potest in feudo.

Vbi aduerte quod in cit. quest. 5. dicto 4. Sylu. habet, simoniam committi, si possessione principaliter ematur ad consequendum ius patronatus ei annexum; aut si ipsum cum illa exprimatur in venditione: verbis gratia dicendo, Vendo tibi villam, & ius patronatus, quod habeo in ea. An autem idem sit sentendum si quis vendens rem cui annexum est ius patronatus, dicat: Vendo tibi tam possessionem cum omnibus iuribus, & actionibus ad eam pertinentibus: intelligendum est quoad forum conscientiae, ex intentione vendentis. Nam si ea non fuerit vendendi ius patronatus per se, ac separatum a re temporali, licita est, & valida venditio: nisi ratione eiusdem iuris plus aliquid accipiat in pretium. Si intendatur, venditio confenda est simoniaca, & illicita. Quoad forum exterrum vero, nisi aliiunde sit presumptio, non potest ex predictis verbis condemnari venditio tanquam simoniaca: quia reuera non indicant vendi ius patronatus, ut separatum a re, cui annexum est: sed potius vidi cum eiusdem rei vniuersitate.

Circa successionem hereditatium notandum est, ius patronatus transire ad quemlibet heredem infolidum, etiam si non sit ex aequa portione heredes (dummodo tamen non si aliquis heres institutus in recta, cui soli sit annexum ius patronatus, quoniam tunc transibit ad solum heredem in illa re) ac cuiilibet eorum ipsum competit, quoad omnes illius effectus memoratos in precedentiun. 211. excepto iure presentandi Clericum ad beneficium: quod quidem ius manet apud omnes heredes communiter, neque est penes unum quemque singulariter ex cap. 1. De iure patronatus vbi glossa, ad verbum, Disiudi non debet, idem annotat. Si igitur heredes ad egestatem veniant, quilibet illorum debet ali ab Ecclesia. In praesentando autem Clericum, omnes simul concurrent debent tanquam una communitas, ex Clementina finali, edem tit. Neque sufficit quilibet per se singulariter. Perinde est autem siue heredes sint filii, siue alii, & siue marces, siue secundum: De quibus omnibus Sylu. in citata quest. 4.

Illi addit: locatorem quamvis non acquirat directum, sed tantum viule dominium rei: acquirere tamen ius presentandi iuxta cap. Ex literis, De iure patronatus. Adde etiam non posse tale ius dari in pignus simul cum vniuersitate rei in qua ipsum est: quoniam Ecclesia in eo patetur detrimentum: quandoquidem nec patronus ipse pra-

fentare posse ad beneficium vacans, ut pote qui ius suum creditori tradidit: nec etiam posset creditor: quia non licet ei uti re libi tradita in pignus; ne videatur, quod usurrum est, ex mutuo capere lucrum: sicq; incommodaretur Ecclesia.

Circa pluralitatem demum patronorum notandum est primo, cum Sylu. in verbo, Ius patronatus, q. 13. cum presentatione fit a pluribus patronis tanquam a collegio, requiri ut maior pars collegij conueniat in presentatione eius, qui instituendus est: nempe si fuerint decem, conuenienter sex. Cum vero sit a pluribus tanquam singularebus personis, non requiri tale quid, sed sufficere ut quis plura suffragia habeat, velut quatuor, cum alij habeat tantum duo, aut tria.

Notandum est secundo: Cum plures patroni dissentiant in presentatione: Ordinarius debere curare, ut consentiant. Modus vero aperte inter se conuenienti esse potest: si ipsi alternatiua habeant, de quinam Clemen. finali De iure patronatus, id est, si unus hoc anno presenter, alter sequenti, & ita deinceps. Quod si nolint conuenire, Ordinarius optionem habet instituendi, quem maluerit ex presentatione, si absque scandalo id facere possit. Sin scandalum digni videatur, aut oritatem habet promovendi ad beneficium aliquem alium, quem iudicauerit dignum; ut ex Panorm. habet Sylu. verbo, Ius patronatus, quest. 8. dicto 4. Et ratio est: quoniam propter discordiam patronorum, Ecclesia noti debet priuari ministri sibi debito.

Aut saltem dum patroni dissentiant, Ordinarius habet ius commandandi Ecclesiam alieui idoneo, ex cod. Sylvestri in sequen. quest. 12. Qui etiam habet in citata quest. 8. dicto 5. si pupillus patronus septuennium egressus, & habens viuum rationis, in presentatione dissentiat a suo tutori presentante alium a quo idoneum, preferri debere presentationem ab ipso pupillo: quia dominus est rei cui coniunctum est ius patronatus. Idem dicitur ratione, cum Corasio in quarta parte paraphrasis in materia Sacerdotiorum cap. 6. nu. 16. de presentato ab uxore, quia in dotem accipit rem in qua est ius patronatus: nempe preferri presentato a marito, si ab illa dissentiat, quia vox est naturalis, & vera dotis domina. Lege, In rebus, Cod. De iure dotium.

Aduerte quod de excommunicatione agendo statuitur, presentationem factam a patrone Clerico excommunicato, esse inuidiam: locum habere, non solum quando presentat quis solus: sed etiam quando cum aliis unum collegium, vel monasterium efficientibus, quorum omnium consensu ad valorem presentationis est necessarius. Tunc enim requiritur, ut omnes ad illud spectantes, suffragium ferant: adeoq; ut nemo eorum sit impeditus per censoriam. Ad quod faciunt quæ de electione ab excommunicato facta Franciscus tradit Suarez in 3. parte tom. 5. disput. 14. sect. 2. a num. 7. Secus eslet vero, si plures illi concurrent tanquam singulare personæ, quarum via quæque per se habeat ius presentandi, ut ex Panorm. & aliis Canonibus ad cap. 3. De iure patronatus, habet lib. 2. par. 1. q. 2. art. 2. Lambertinus, qui in sequenti par., quest. 3. art. 4. bene etiam docet presentationem inuidiam non reddi validam per institutionem factam ab Episcopo: quia collatio facienda ad presentationem patroni, non est absoluta, & libera, sed ita supponit eiusmodi presentationem: ut ipsa inuidia, inuidiaque sit, si nulla, inuidiaque fuerit presentatione. Aduerre quoq; inuidiam esse presentationem cum patronus Clericus suspensus fuerit ab officio: quia presentatione illi tantum conuenit ratione officij Ecclesiastici; non autem si fuerit solum suspensus a beneficio, quia talis suspensione Clericu priuat tantum perceptione prouentuum:

### SECTIO III.

#### De persona presentanda:

Primo notandum est, patronum non posse presentare se ipsum, ex cap. Per nos fratres, De iure patronatus: est quando sunt plures patroni, possint presentare unum ex suo numero, quia tunc cessatio ratio in illo capitulo allata: quod nullus debet se ingerere Ecclesiasticis officiis.

Secundo notandum est, eum qui scienter presentat indignum; seu habentem impedimentum aliquid cationi-

cum peccare mortaliter; quia infideliter facit officium sibi impolicum: & quantum est ex sua parte, infert Ecclesiae detrimentum; presentatioque invalida est si presentetur talis, qui in secundum canones inhabili, de quo egimus in preced. cap. 1.

Notandum est tertio, patronū debere de Clerico praesentando inquirere, num sit idoneus: alioquin enim periculum efficit ne presentaret indignum: cui periculum scienter se expōens peccat, sicut prius mortaliter, iuxta illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum peribit in illo. Nec obstat quod nemo existimandus sit malus, nisi id constet: quia id quidem verum est cum agatur de malitia morum: non autem cum de conditionibus secundum leges ad aliquid manus requiras. Et certe imprudentia magna efficit, ignoramus nobis, sine inquisitione, indicare conditiones habere ad beneficium acquirendum requiras: putarem, scientiam, ordinem, &c. li que sunt alia, in eo qui presentandus est requisita: quae non inueniuntur in omnibus.

221. Notandum est quartu, difficultatem esse, An patronus possit praesentare dignum relicto dignore. De qua videatur dicendum: si presentatio facienda sit de Clerico aliquius determinati collegij, aut monasterij, vel ciuitatis, aut loci, vel familiae: sufficere si presentetur idoneus de tali collegio, monasterio, &c. etiam si extra sunt alii magis idonei. Nam iusta sunt leges statuentes ut ad aliqua beneficia promoueantur solum Clerici de tali loco, aut collegio, aut familia, cum ad bonum communem ralequid spectet: quandoquidem ciuitates, collegia, & homines singulares, pfectu quo duci solent erga sua loca, vel familias, alliciuntur ad bene merendum de Ecclesia. Quod si in tali collegio, ciuitate, &c. duo sint, unus idoneus, alter magis idoneus, patronus debet praesentare magis idoneum: alioquin non videretur fidelis erga Ecclesiam, nec in officio sibi commisso utiliter agere negotium Ecclesie, quae ipsi illud commisi. Quod idem pars ratione iudicandum est, si presentatio sit libera, nec stricte facienda de Clerico certi collegii, ciuitatis, &c. De qua re legendum est Concil. Trident. sess. 24. cap. 18. De reform. & eti accommodanda qua dicta sunt in preced. cap. 14. documento 6. seu num. 195.

Cæterum quamuis graue peccatum sit ita male praesentare, non ideo tamē presentatio est inutilita, cum nullumius detur, quo id statutur: nec ratio dicitur parem esse debere rationem presentationis minus digni relieto dignore, & presentationis indignu.

Notandum est quinto, patronum videri suum opere suo officio si presentet idoneum, cum non tantum se illi offerat: aut plures quidem, sed &que idonei. Nam illum compellere sub pena peccati mortalis ad premitendam inquisitionem, inveniantur alii digniores, iis qui se offerunt, effter gratiam ei concessam facere in gratia, & quasi odiosam contraria ob quæ ea conceditur: homines scilicet per illam alliciendi ad beneficiandum Ecclesiam, nam tali conditioni non facile submittent se Reges, & alii Magnates.

222. Notandum sexto, quod Sylva. in verbo Ius patronatus, q. 7. tractat: laicus personis presentantibus indignum; quia spiritualia, & Ecclesiastica ignorant, Ecclesiam parcere, ac indulgere ut iterum presentent: sed debet Episcopus interea Ecclesiam vacanti aliquem praescire, & patrōnum ipsum monere, ut alium presentet: cum ipse non possit instituire indignum. Clericis autem presentantibus indignum, eamdem Ecclesiam non parcere: quia tales non debent spiritualia, tanquam Ecclesiastica, ignorare.

Notandum est septimo, quod Corialis in ante citato cap. 6. num. 18. habet: de absente quidem non fieri iure presentationem, ex glossa ad Clement. Dudum, §. Statutum, De sepulturis, verbo Presentari; artamen si absenter Clerici qualitas, conditio, & persona cognita est ipsi patrono, hic licite potest illum presentare: quia rei demonstrata frustra addicitur demonstratio. Sic etiam potest Episcopus absensem instituere: dummodo ei, qualitas illius, conditio, & persona sit nota. Nam ea ratione posse absenti conferre beneficium habetur, ex cap. Si tibi absenti. De probendis in 6. Sic quoque à Rege nominati, quamvis ab urbe Roma absint, in Episcopos instituantur à Papa: quia hic per litteras factus est de personis, & conditionibus eorum certior.

Notandum est octavo, quod Corialis addit in seq. nro 19. ex glossa, & Panorm. ad cap. Consuluit, De iure patronatus: partem postea praesentare filium: quia non daturus quo id prohibetur: neque impedit, quod filius dicatur eadem persona cum patre: & quod filius acquirit, acquirat patri: quia non est eadem persona secundum rei veritatem, sed tantum secundum legis humanæ interpretationem, & fictionem: neque filius acquirit parti beneficium, sed sibi.

Notandum est postremo, cum Sylva. in verbo Ius patronatus, q. 7. habentem ius patronatus laici, sive laicus sit sive Clericus teneri praesentare intra quatuor menses: habentem vero ius patronatus Clerici, teneri praesentare intra sex menses, ex cap. vniuers. De iure patronatus in 6. Quod tempus, quia ignorantia reddit hominem excusabilem, incipit currere à die quo patronus sibi beneficium vacare, nō autem à die vacationis. Quod si presentatus ab habente ius patronatus Clerici, reiciatur ob impedimentum Canonicum, non potest idem patronus pro ea vice alium praesentare: potest vero habens ius patronatus laici, satis ampli presentationem, alium intra quatuor menses praesentare. Cuius discriminis rationem habes in precedentibus notabilis sexo.

Addicatu, de quo idem Sylva. in sequen. q. 8. per cap. Cum autem, De iure patronatus: quod habens ius patronatus laici vno idoneo presentato, possit ante illius institutionem adhuc praesentare aliū: non quidem ut à primo recedat: sed ut altero ei accumulato, Episcopus quem maluerit, instituat: habens vero ius patronatus Clerici, vno Clerico presentato, nō habeat ius praesentandi aliū: ne quidem prædicto modo, nempe accumulatio: quia talis presentatio vim habet electionis, qua peracta electores variate non possunt, ex cap. Publicato, De electione.

Cæterum cum in iure patronatus cōmunicant patronus laicus, & patronus Clericus, illud habens ratione sue Ecclesie: ob talem communionem laicus gaudet priuilegio praesentandi intra sex menses. Sicut enim ille qui rem habet communem cum pupillo, gaudet priuilegio pupilli: sicut in hac re priuilegium Clerici, ratione societatis transire ad laicum. Ad quod facit textus citati cap. vniuersi cum glossa ad verbum Semestre.

### SECTIO IV<sup>1</sup>

De persona in situente presentatum à patrono.

De iure communi est, ut Episcopus habeat ius instituendi omnes presentatos à patronis ad quæcumque beneficia intra suam diocesis existentia, cap. Ex frequentibus, De institutionibus, cap. 1. eod. tit. in 6. & cap. Cum sati, De officio Archidiaconi, iuncto cap. Omnes basilicas, 16. q. 7. ex quo haberi pro regula, quod instituto omnium Ecclesiastum spectet ad Episcopum. Lambertinus notat, De iure patronatus lib. 2. par. 3. que. 1. art. 3. Addens Episcopum id ius habere, etiam non nondum consecratus sit: quia instituere est actus iurisdictionis (quamille acquisit dum confirmatur à Papa subiecte illi populum) non vero Ordinis. Vicarius item generalis Episcopi potestatem habet instituendi, iuxta citatum cap. Ex frequentibus: etiam si non habieatus conferendis sine speciali mandato eiusdem Episcopi, ex cap. finali, De officio Vicarij in 6. qua de Lambert. in seq. art. 5.

Idem iuxta cap. 1. De institutionibus in 6. dicendum est de Capitulo, sede vacante: nempe ius habere instituendi de qua erit am Lambertinus in sequen. art. 7. Qui etiam in precedenti art. 4. alius citatis notat: quod licet olim Episcopus iure communi non possit instituere absque Capituli consensu, nunc tamen vsum obtinuisse ut solus sine capitulo instituat.

Alii Clericis Episcopo inferioribus ius instituendi protest conuenire, vel ex priuilegio, vel ex prescriptione, vel ex confutidine, vel ex statuto, vel ex fundatione beneficij: ut v.g. si capellania fundetur à laico ea conditione aposta de consensu Episcopi, ut Decanus, vel Archidiacus, vel Praepositus certa Ecclesiæ, vel alius presbyter ius habeat instituendi presentatum à patrōno, nō autem Ordinarius. De qua re etiam Lambertinus in seq. art. 10. De iure

iure communiti laicus non potest habere ius instituendi, nec item ex concessione Episcopi; potest autem ex speciali priuilegio Papae, vel per consuetudinem approbatam per Papam De qua re adhuc Lambertinus in seq. art. 11. & 12.

225. Porro de ipsa institutione notandum est primo, ex eodem Lambert. lib. 2. par. 3. quest. 2. art. 2. eam non esse tantummodo irritatitudinem, sed etiam irritam ipso iure, si fiat neglegatio patrono. Validam autem reddi iam factam si patronus posse in eam cōsentiat. Item si patronus vocatus ad presentandum non praesenteret, & Episcopus ipso praesente, & faciente aliquem instituat, validam quoque esse institutionem. Item si toto tempore intra quod patronus praesenteret, scienter taceat, & Episcopus instituat, validam adhuc esse institutionem. Similiter si Episcopus iubeat ut patroni praesentent, nec faciant, atque ipsis scientibus, ac tacentibus ille instituat, validam adhuc esse institutionem. Idem quoque probabiliter dici potest, si Episcopus instituat, & patronus taceat, quando posset alioqui commode praesentare. Vera enim est regula, quod sciens, & tacens consentire videatur.

226. Notandum est secundo, cum ex communione opinione Episcoporum possit exercere extra territorium actus iuris dictions Episcopalis, qui non requirunt cause cognitionem iudicalem: ipsum quoque posse dum est extra territorium, sibi presentatum instituire; si in situ nullam requiratur iudiciale inquisitionem, sed sufficiat examen presentari, iuxta Concilii Tridentini prescriptum seq. 24. cap. 18. De re form. praecedere, ante quam instituatur in beneficio.

Notandum est tertio, ex ipso Lambert. in cit. 3. part. quest. 9. & ex Couar. alias citante in libro practicarum quest. cap. 36. Summum Pontificem, secundum communem opinionem, posse derogare cuiuscumque iuri patronatus: quia iure tanrum Canonico, cui Papa derogare potest, patronis convenit, & interdum in suis literis de facto derogat. Quod an faciat, cum in illis dicatur beneficium huic, vel illi prouideatur, ad cuiuscumque dispositionem pertineat, difficultas est. Ex communione autem sententia, Couar. loco cit. num. 2. plures in eam commemorans, monet per ea verba derogari iuri patronatus Clericorum: non autem iuri patronatus laicorum: quia non censemur Papa praetendere laicos, nisi faciat expressa mentione illorum: ne auertantur a fundatis, & dicandis, ac dotandis Ecclesiis. Quod etiam procedit, vt idem author ex communione sententia addit: cum in literis Apostolicis fuerint haec verba, Ad cuiuscumque presentationem pertinet; quia locutio illa generalis recipit, & comprehendit omnes species Clericorum ad quos ius praesentandi pertinet: liquidem aliquando pertinet ad Presbyteros simplices, aliquando ad dignitates, aliquando ad Episcopos, aliquando ad collegia, aliquando ad Religiosos, aliquando ad hospitalia, aliquando ad alios conuentus Ecclesiasticos.

227. Addit præterea Couar. post Lambert. in cit. quest. 9. art. 11. & Rebuffum prima parte praxis beneficiorum, in tercia parte signa, uera, verbo, iuri, patronatus, num. 62. quod si Papa in literis Apostolicis dicat: Ad cuiuscumque presentationem pertinet, etiam laicorum non praesumit derogare velle iuri patronatus pertinenti ad Reges, Duces, Marchiones, & alios Principes, nisi expresse de illis faciat mentionem. Ita enim habetur ex regula 40. Cancillariz, quæ, ut habet Lambert. loco cit. fuit Innocentij octaua, huiusque verbis concepta est. Item voluit quod super quoquis Ecclesiastico beneficio de iure patronatus laicorum non expediantur litteræ, nisi ponatur expresse, quod tanto tempore vacavit, quod eius collatio est ad Sedem Apostolicam legitime devoluta: vel ad id patronorum accedat assensus. Et, si per ipsas litteras patronatus huiusmodi, derogare contigerit: si ius huiusmodi ad aliquum Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc in literis prouisionis, vel magistris de prouidendo de dicto beneficio mentione facta non fuerit, non censemur iuri huiusmodi fore quomodo liber derogatum.

Notandum est quarto, quando ius patronatus pertinet simul ad Clericum, & laicum, ei non derogari per clausulam generalem, Ad cuiuscumque presentationem beneficium imperiet: quia tale ius licet quoad commoda, & favorabilia,

228. iudicetur Clericorum; quod ad damna ramen & odia, censetur laicorum, hec his societas cum Clericis censemur damna. Ita docet Couar. in eodem cap. 36. num. 5. vers. 3. Addens quod si essent duo patroni Clerici ratione suarum Ecclesiarum, & tantum unus laicus, admitti derogationem factam à Papa per clausulam generalem: quia tuncius patronatus non est pariter Clericorum, & laicorum; sed pro maiori parte Clericorum. Addens item si plures sint patroni laici, quotum maior pars consentiat derogationem factam à Papa, eam non impediti propter minoris patris resistentiam: si derogatio fiat sub hac speciali clausula, si major patronorum pars consentiat. Non vero si fiat per clausulam generalem, quia tunc derogatio non admitteretur, sive ex toto, sive ex parte derogeretur.

Notandum est postremo, præter eam acceptiōē, quā nomen institutionis dicitur de collatione beneficij non libera, quia sit ad patroni presentationem: esse duas alias visitas in materia de beneficis. Una est, quia accipitur pro imaginaria quadam beneficij traditione; quæ alio nomine inuestitura dici solet, congrueret cap. Cum olim, De sententiā, & re iudicata, & cap. Propofuit. De concessione præbendæ: siue institutio sequitur collationem: sicut rei corporalis traditio sequitur donationem: ita ut primo quidem fiat collatio; deinde vero institutio seu inuestitura, tanquam traditio quædam. Et quia beneficium ipsum propriū tradiri non potest: solet in locum, & signum illius tradī piletus, liber, annulus, aut quid simile. Tam autem eiusmodi collationis, quam institutionis ius, pertinet ad unum eumdemque, nempe ad Episcopum: argumento cap. penultimi, De institutionibus. Altera acceptio est, quia in institutio sumitur præmissione in corporalem beneficij possessionem, quæ sequi debet institutionem præcedenti acceptiōē sumptuam. Etsi enim p. r. inuestiturā a collatore factam, beneficium quodammodo sit traditū, illiusq; imaginaria quædam possessione in accipiente transferri: veram tamen, & naturalem possessionem is nondum est adeptus: sed tunc demum, cum in locum beneficij immisus fuerit: cuiusmodi immisso iure scripto pertinet ad Archidiaconum, ex cap. Adhae, De officio Archidiaconi, §. In nostra.

### S E C T I O V.

De conditionibus, quæ à patronis apponuntur beneficis patrōnati, & de modū quib[us] ius patronatus extinguitur.

229. Notandum est primo, non alium quam Papam posse derogare fundationum qualitatibus, & conditionibus: quia voluntas fundatoris mutari non potest nisi Papa autoritate; vt communiter norari ad Clementem. Quia contingit, De religiosis domibus, habet Lambert. De iure patronatus lib. 3. quest. 5. art. 3. num. 6. Solere autem Papam isdem conditionibus derogare (cum scilicet id in suis literis exprimatur) norat Rebuffus in praxi beneficiorum 3. par. signatum, verbo, Necnon iuri, patronatus, num. 72. Addens in seq. 73. non solere derogare, quando petitur fundationi derogari in totum, & quoad omnes eius partes etiam non expresas, vel exprimendas: quia tales esse possunt, quibus ipse nollet derogari. Ex multis autem particularibus conditionibus apponi solitus, quas Lambertinus persequitur in precedentib[us] lib. 1. part. 1. quest. 9. illam tantum visitatissimam considerabimus de Missarum dicendarum obligatione.

Circa quam dubitatur, primo, An cum in institutione beneficij cōditio ponitur, vt beneficiatus semel, aut plures in hebdomada celebrare debeat, requiratur ut tempore presentationis ipse sit actu Sacerdos. Ad quod Lambertinus lib. 2. part. 1. quest. 7. art. 27. affirmatiue respondet: quia idoneus presentandus est in beneficio: neque ad beneficium idoneus dicitur nisi ille qui potest & vult eide m deferrire, ex cap. Superordinata. De præbendis, lamille qui non est actu Sacerdos, deseruire non potest ei beneficio, cui ex lege fundatoris coniunctum est onus Missarum aliquot celebrandi per ipsum in beneficiarium. De qua re plura idem author: docens in sequent. art. 28. idem iudicium esse si in fundatione dicatur ut ipse per se, vel per

alium Sacerdotem celebret: quia sensus eorum verborum est ut si ipse impeditus sit celebrare per seipsum, curret ut loco suo alias celebret: non autem quod sufficiat alterum eorum celebrare, nec necesse sit beneficiarium Sacerdotem esse.

<sup>231.</sup> Dubitatur secundo, An quando in institutione beneficij ponitur conditio ut beneficiarius sit Sacerdos, requiratur ut sit actu Sacerdos tempore presentationis. Ad quod per traditum a Lambertino in ead. quæst. 7. art. 29. respondentum est requiri, si fundatio sit facta a laico; non item si ab aliqua Ecclesia, vel a Clerico ratione sua Ecclesia: sed sufficit presentatum ad tale beneficium, ea ex parte tempore presentationis, ut intra tempus a iure statutum possit fieri Sacerdos sine dispensatione. Cuius differentia ratio reddi potest, quod laici facientes fundationem, non presumuntur loqui secundum canones quos ignorant: Clerici autem presumuntur loqui secundum canones. Secundum quos beneficium tribus modis dicitur Sacerdotale (quos ex Ioanne Andrea, & aliis referat Lambertus in supra memorato art. 27. num. 8.) vel quia exigit, ut illud habens, sit Sacerdos: vel ut teneatur fieri Sacerdos intra tempus prescriptum a iure, alioqui ipse sit eo beneficio priuarus: vel ut actu fiat Sacerdos intra tempus iuri, alioqui fructus non faciat sios, licet non priuetur beneficio. Quorum modorum uno aliquo sufficit intelligi conditionem beneficij adiectam, ut beneficiarius sit Sacerdos.

<sup>232.</sup> Notandum est secundo, circa candem conditionem, congruenter iis quæde illa ex Panormit. haber Syluest. in verbo Missar. quæst. 7. in fine: si patronus beneficiario imponat obligationem per seipsum celebrandi ter vel quater in hebdomada: eam non esse intelligendam ita stricte, quin, *nuxta cap. Significatum, De probanda*, si ob legitimum impedimentum non possit tunc cum debita preparacione, deuotaque celebrare, satis sit ut celebret per alium, vel celebrationem differat in aliud tempus, sublatu impedimentou. Alioquin enim institutio illicita esset, tanquam dans materiam peccandi. Quod par ratione dici potest de obligatione a patrone imposita celebrandi in certo altari, vel Ecclesia, aut capella: nempe ut occurrente legitimo impedimento, celebretur in alio loco. Pro quibus facit, quod obseruanda quidem sint conditiones quas patronus ab initio fundationis apposuerit beneficio de consensu & auctoritate Dœcesani: quia *vnuquisque potest alterum suum donare, cum quo value sit onere: ita ut illam acceperias tale onus suore teneatur*. Sed tamen, ut videre est apud Lambertum lib. I. part. I. quæst. 9. art. 1. a. num. 65. id habet varias, non modo ampliations, sed etiam restrictiones: & inter eas, ut non procedat quando huiusmodi conditio fuerit grauamen immoderatum, & intolerabilis: quia talis, neque de Episcopi consensu apponit potest ab initio fundationis: neque teneri ab initio quidem fuit moderata, & tolerabilis, sed post facta est immoderata, & intolerabilis: quod idem author notat in sequen. num. 145. Item ut non procedat cum conditio fuerit rectæ ratione contraria, ut est illa, de qua Sylvestre loco citato: celebrandi quotidie de sacra sancta Trinitate, aut de sancto Michaeli, relictis Missis iis quæ iuxta rubricas, sunt celebrandæ, siue de tempore, siue de Sanctis.

Cæterum in dubio, seu cum non constiterit aperte impedimentum esse legitimum; recurrentum est ad Episcopum pro licentia habenda, sicut recurrunt, ut in frigi posse ieiunium sine peccato, cum occurrit quidem impedimentum ieiunandi: sed non constat aperte an sit sufficiens. Additum cum patronus apposuit obligationem celebrandi certum numerum Missarum & decrescentibus redditibus, vel alia de causa, onerosus est tantus numerus: Episcopum habere per Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. De reform. auctoritatem reducendi cumdem numerum ad minorem.

<sup>233.</sup> Supertest ut paucis attingamus modos, quibus ius patronatus exungi potest. Primus igitur est, per cessionem: nempe cum quis ius patronatus quod haber renuntiat ei Ecclesia, in qua illud habet. Nam tunc talis Ecclesia manet libera, ex cap. vñico De iure patron. in 6. Alter est, cum quis Ecclesiæ, cuius est patronus, scienter partitur fieri collegiam sine iuris sui reservatione. Nam tunc de recto-

re eiusdem Ecclesiæ vacantis non prouidebitur ex illius præsentatione: sed ex collegij electione, iuxta cap. Nobis, De iure patronatus iuncta glossa, verbo, In capella. De qua re Panormit. ibid. vbi & tractat an ipso patrono in iusto, licet a talem mutationem facere. Terrius est, si Ecclesia incendio consumpta fuerit, vel virtu aliquo corruerit, vel capta, detentaque sit ab hostibus: quia sublata substantia rei, consequenter accidens illius perit. Quartus est, si patronus Rectorem, aut Clericum ipsius Ecclesiæ perire, vel per alium occiderit, aut mutuauerit, iuxta cap. In quibusdam Occidit: vbi id Panormitanus notat. Quintus est, si patronus efficiatur hereticus, aut incurrit in aliud crimen, propter quod omnia bona ipsius confisca sunt: tanquam pereunte scilicet accidente, dum substantia perit.

## C A P V T XVII.

*De simplici collatione beneficij Ecclesiastici.*

## S V M M A R I V M.

234. *Quid sit simplex collatio beneficij Ecclesiastici.*  
 235. *Quemque beneficia potest Papa conferre, & solus beneficia referuntur.*  
 236. *Concurrit Papa cum aliis Ordinariis: & quis significetur nomine Ordinarii.*  
 237. *Potestas Cardinalis, & Apostolici Legati a latere, beneficia conferendi: & quod eam non habent catari Legati, Apostolici nisi specialiter committatur.*  
 238. *Notanda de potestate Legati a Latere, restricta circuacollationem beneficiorum.*  
 239. *Spectat ad Episcopum conferre beneficia in sua diocesi: quod non potest semper facere libere.*  
 240. *Quid in ore requiratur ut talem potestatem habeat, aut exercet.*  
 241. *Capitulum Sede vacante non habet quidem ius conferendi beneficia spectantia ad collationem Episcopi: habet tamen confirmandi electum, & inserviendi nominatum, & unde oriatur talis differentia.*  
 242. *Generalis Vicarius Episcopi non potest beneficia conferre, nisi ex Episcopi sui commissione, & quæ alia ipsi potest.*  
 243. *Quando Episcopo datum coadiutor posset, aut non posset vice ipsius conferre beneficia.*  
 244. *Quando posset qui possessor quidem est iuris conferendi, sed non est dominus.*  
 245. *Quid sequester potest.*  
 246. *Beneficia conferri debent pure, libere, & palam.*  
 247. *Item que sine diminutione, & iam vacantia: nec ad certum tempus, sed ad totam vitam.*  
 248. *Collatio beneficij non debet fieri alternativa, aut copulativa: & quando vacans posset, aut non posset in duis dividit.*  
 249. *De tempore intra quod fieri debet beneficiorum collatio.*  
 250. *Conditiones requisita ad validitatem collationis beneficiorum.*  
 251. *Plenitudo potestatis requisita ad validitatem collationis beneficij: & quatenus potestas conferendi deuoluatur ab uno in alium.*  
 252. *Modi quibus talem potestatem habens, potest eam amittere.*  
 253. *Invalida est beneficij collatio facta post tempus a iure constitutum: & quatenus potestas conferendi deuoluatur ab uno in alium.*  
 254. *A Regularibus etiam exemptis, ad Episcopum sit deuolutio, & quedam alia paucis tacta pro præcepto.*  
 255. *Modus quo beneficij collatio invalida est ob collatoris peccatum commissionis.*

<sup>234.</sup> Collatio simplex dicitur ad distinctionem precedentium modorum, quibus acquiritur beneficium. In illo enim semper quidem est collatio actu, aut virtute: sed præter eam simul est actio alia à qua quisque eorum propriam accipit denominationem. Definiri autem potest talis collatio: concessio beneficij Ecclesiastici vacantis, nulla alterius Superioris confirmatione indigens. Ex qua definitione sat intelligitur, collationem distinguere ab institutione, quæ non est libera, sed ad presentationem patrōni facta: & ab electione proprie dicta, quæ requirit con-

firma-